

& Schamaim, alijs ab aquis, alijs ab admira-  
tione.

Significationes vocis caeli varie sunt  
in Philosophicis pariter & Theologi-  
cis. Sumitur enim.

1. Pro toto hoc universo vel mundo  
apud Aristotelem nonnumquam.

2. Pro toto expanso à terra usq; ad  
ultimū caeli. Ut cum dicitur Deus creas-  
se caelum & terram. Sic Gen. 2, 1. & 24-3.  
Esa. 45, 12. & alibi passim.

3. Pro aëre passim in scripturis; & dici pot-  
est caelum aereum: ut cum dicuntur volucres  
caeli, nubes caeli, ros caeli, venti & tonitrua cae-  
li &c. quae significatio etiam Aristoteli, Poetis  
& alijs profanis scriptoribus in usu est.

4. Pro æthereâ regione solâ & totâ  
(quae propriissima est acceptio, & in praesenti  
doctrinâ à nobis quaeritur) stellas omnes con-  
tinente, tam fixas quàm errantes, ut Gen. 1, 14  
& 17. & alibi in scripturâ ubilibet, uti & apud  
Philosophos: diciq; potest caelum stellatum ve-  
sidereum. In quâ significatione utitur saepè Ari-  
stoteles voce hac pro complexu omnium or-  
bium; quos cum antiquis ibi esse putat.

L. A.